ORATIO
ANNIVERSARIA
in diem
INAUGURATIONIS
Sereniſsimi noſtri Principis
OLIVARI,
D. G. *Ang. Scot.* & *Hybern.* Prepotentiſsimi
PROTECTORIS.

HABITA
in Aulâ Medii Templi *Decembris* decim. ſept.
M. D. C. LV.

LONDINI,
Typis ROGERI DANIELIS, & vœno extant per *Edoardum Blackmoore* ad ſignum Angeli in cæmeterio Divi *Pauli*.
M. D. C. LV.

Perexcellentiſsimi Legati;

Nobiliſsimi vos ex Conſilio PROTECTORIS Conſulares; *Honoratiſsimi magni Sigilli Cuſtodes; Venerandi Judices, & Juriſconſulti; Fortiſsimi Duces, & Militum Tribuni; Et vos omnes in hoc conventu quotquot eruditiores*

Salvete.

CUm ſolenne ſit apud exteras Academias Nobiliorum *Principum* laudes publicis Elogiis in Publicum proferre, & Religiosâ quàdam Pietate Memorias Conſervare *Benemerentium*: certe pudor eſſet apnd Noſtrates, nec Piaculo minus haberetur, in Exercitiis ab Illis ſuperari, quibus & Academiarum Proventu, & dignitate SUBJECTI, tantum Præpollemus.

——Pudet hæc opprobria dici
Et dici potuiſſe——

Eo nomine, tantillus ego (gratitudinis & officii memor) Improviſus Orator, in hanc Arenam deſcendi. Fructibus immaturis adeſſe mallem quam nullis; & exiſti-

mavi tutius ab *Eloquio* deliquiſſe, quam per *Silentium* Crimen aggravâſſe.

Et quis *Sileret* in tantâ celebritate? Quis in hâc publicâ non exultaret ovatione? Illuxit enim Dies auſpicatiſſimus Quo ſereniſsimus Britanniarum *Phœſphorus* Illuxit Suis, *Diemque reddidit.* Illuxit Dies; Illuxit Annus; Illuxit Sæculum; quid ni? *Jubilæum.* Animadvertite enim nobiliſsimi vos Auditores, & Solem jam novum ſub Aureo vere ſæculo contemplemini. Sol nimirum novus; Sol *Nativus*, non ab Aquilone, ſed Sydere viciniori nobis affulſit. Sol Aureus, ad cujus Radios, lippientes *Malignantium* cæcutiunt, & caligant oculi, *Saniorum* vero clarius eluceſcunt. Sol circularis, qui non modo Britanniarum, ſed & Remotiſsimos ſuæ Dominationis orbes, pari fulgore, perluſtravit.

Sub hoc Sole, Pientiſsimus apparet OLIVARUS Ille Princeps, ut vobis Auditores quotquot *Peregrinis*, conſpectior innoteſcat. OLIVARUS Ille magnus; magnum Religionis lumen, & vindex Veritatis. Ille Legum Propugnator; Anteſignanus Ille Libertatum. *Archiſtrategus* inexpugnabis, Ille, Qui præliis in omnibus *Fortunam* ſemper habuit *Pediſſequam*, Quia Comitem ſempea habuit *Virtutem.* Ille Polemarchus, & Patriota, Qui Pacis & Belli pariter artitus ſic ennutritus, ceu vel

hære-

hæreditario videretur ad utraſque natus, ut utriſque potiretur.

Quod ſi auditores *Philoſophus* Ille vixiſſet ad hoc, Qui Reſpublicas Illas beatiſsimas pronuciaverat ubi Philoſophi Regerent, & Reges Philoſopharentur: Ad hoc inquam ſi vixiſſet, voti compos evaſiſſet: vidiſſet hic ſane REGENTEM tam bene-Philoſophatum & ex Ipſius *Concilio* tot Philoſophos tam *Bene-Regentes*, ut fateretur Angliam minime *Peregrinis* debere documenis, quæ ſic Domeſticis abundaverit, Faceſſant igitur faſtidioſæ tot Inſtitutiones veterum. Quicquid enim Superciliosi *Stoici*; Quicquid ſagaciores *Stagyritæ*; Quicquid *Ariſtoteles* cum Platone; Cum *Plvtone* Xenophon; cum *Xenophonte* Syniſius de Conſummatiſsimo Regimine tradiderunt, OLIVARUS noſter ſuis moris non modo repræſentavit, ſed adimplevit, immò ſuperavit. OLIVARUS Ille, Quem ſi forſan inter *Romulidum* Magnos Duces, & *Deaſtros* Illa priſca tuliſſent ſæcula, Ne divinis adorearum quidem honoribus Carviſſet.

Nec apud *Noſtrates*, priſcis quidem temporibus potuit *Stella* tantæ magnitudinis in Horrizonte Britannico latuiſſe. Perilluſtres nimirum Dotes indigitârunt; Sublimis indicavit Indoles; & ad illud antiquum *Par-*

lamentum inter Regni Proceres, & Procerum Principes accivit, cooptavit. Ad illud antiquum dico *Parlamentum*, ubi Patres-conscripti non magis purpureis *Prætextis* quam moribus vere pudicis erubuerunt. Ad hoc *Parlamentum* Delegatus, sic provide profecit, & proficiendo sic imbutus emersit, ut ad sequentia quotquot imbueretur. Nec Fiducia certe fefellit *Qui* succedaneis in omnibus non modo suis Majoribus, sed tam coetaneis quam Novitiis, antiquâ virtute præluxit.

Sed (auditores ornatissimi) non unius claustra Domicilii tantum continebant *Heroem*, Cujus Famæ vix continens suffecit universum. *Divinum* noluit *Numen* ingentem Spiritum sedentariæ vitæ veterno contorperet, *Quem* tot, tantisque Rebus destinaverat. Scilicet hoc in Fatis Magnorum Ducum semper notabile est, ut nec posse Respublicas labefactari, vel labefactatas in pristinum restitui, quin Ipsi manus auxiliatrices, & humeros opportunè supponant.

Prorumpentibus igitur Bellis Animus vere Bellicosus erupit, expergefactus ad vociferantes classicorum tumultus. Nec in Castra sane ambitiosa sui Cupiditas allexit, sed Communis Patriæ Calamitas coegit. Non potuit *Privatus* esse, cum publica mala grassabantur, non *securus*, cum parietes proximorum conflagrârunt.

In

In Exercitu quoad Armorum Diſciplinam habuit fortaſſe pares, ſed quoad *Pietatis*, procul dubiò neminem. Hinc Honores creverunt indies ad pondus, & Menſuram Meriti, Qui vel invitum ſollicitârunt, ambierunt. Vix Cohorti cataphractus Dux præficitur, Quam mox ad Tribunitium tollitur; inde cum Tribunitium fortiter expleverat, *Hypoſtrategi* Donatur Dignitate. Fas quidem fuit ut ad *Generalem* proximus accederet, Qui ſocios tot paraſangis præivit; Neceſſe fuit ut præiret, Qui feſtinatione-lentâ, & celeritate-Deliberata, properavit.

Hinc abundè vobis conſtat Auditores in his dignitatibus non munia militaria præripuiſſe, ſed lentiùs expectâſſe. Expectavit de more, quæ vendicaret de Jure; vendicaret de Jure quia meritis anticipaverat.

Et ſic innumeris laboribus, hinc diutiùs exantlatis; Illinc penitùs exhauſtis, ad IMPERATORIUM tandem CULMEN Pervenit. Et directè quidem Pervenit ad *Quod* Pedetentim per Gradus anhelavit, ut tantus Aſcenſus non Fortunæ ſed *Induſtriæ* deberetur. Neſcio quàm benè dictum ſit apud Tacitum, *Optimos Mortalium, altiſsima Concupiſcere*; certe compertiſsimum eſt nobis, OLIVARUM noſtrum nil magis cupiviſſe, quam fiet *Optimus*, Optimos Noſtratum nil magis cupiviſſe, quàm fiet *Altiſsimus*. Et

Et tunc (Auditores) cum *faſtigia* collis ſuperaverat, & in culmine *ſupremo* conſediſſet; Non oculis irretortis, in inferiores faſtidioſe deſpexit, aut gradus proterve conculcavit per quos aſcenderat. Non, non, Auditores, bene novit hic in Maxumis eſſe moderatus, Qui in Mediocribus ſemper erat Magnanimus; immo Qui Medioxumus inter utrumque pari pendebat æquilibrio, nec in his depreſſus, nec in illis elevatus. Quod de *Trajano* traditum (quod illum nihil interere fieri Principem Qui vel ex *Imperatore* futurus erat *Privatus*) veriſsime de Noſtro, Qui vel in *Privato* fuit Imperator. Quis enim cùm Privatus Sui Juris aut Arbitrii magis ſibi melius *imperavit*? Quis in Domo Dominus amplior? Quis Pater-familias circumſpectior? Qui ſic animo reditus, & ſic reditibus animum jugiter attemperavit, ut raro vixerit ſupra *Fortunæ* modum, nunquam infra FAMILIÆ magnificentiam.

Nec hic quidem in Progreſſu militari, Mores mutârunt Magiſtratus. Idem Tribunus, ac olim Dux; Immo idem fuit Imperator, ac olim Tribunus, Qui ſic induerat Imperatoris Trabeas, ut non exveret memoriam Tribunitii.

Ad maxima Prælia, ſemper in *Fronte* præceſsit ut Dux, in *Medio*, pugnavit ut Miles, ut quos non erigeret hortatu,

hortatu, provocaret Exemplo. Et ut præliis atrociſsimis plerumque præfuit, ſic ſibi nil reſervavit præter pericula, Militi prædam DEO Gloriam. Hinc fuit Auditores ut inſignis *Ille* Qui ſuæ nil arrogavit, nil commilitonum fortitudini detraxit. *I*mmò laudavit Facinora, nec diffuſius eorum præconia publicavit, quam quadam prætermiſsione propria depreſsit. O maximum ſublimis humilitatis Argumentum! Quid mirer prius? an Benignitatis Benevolentiam? vel Modeſtiæ Benignitatem. Benigne-Benevolus erat in quod gratis diſtribuerat militiæ meſſem cujus impenſius Ipſe fecerat ſementem. Modeſte-Benignus, *Q*ui ſibi Fructus interdixit, ut ſociis indulgeret.

Sic undiquaque, per Suorum Caſtra colendus, ſed per *I*nimicorum Terribilis ubique progreditur. *I*deo formidandus omnibus quod formidabat neminem. CAROLIDES quidem toties ab *Illo* profligati FERRILATERIS fatale nomen indiderunt. *Scotigenæ* nec fato diſpares, milites ejus rubris ſagulis emicantes, MURUM-LATERITIUM nuncupârunt. Et certe *Murum* recte referebant, & illo *Muro Pictaienſi*, & de quo Brigantes jactitârunt, eminentiorem. Hic enim limites veteris Imperii diremit; aſt illi limites novi prerogârunt. *Murum* inquam recte referebant *Illi veterani* per

quos frequentius Imperator Murales-Laurus, & Civicas-Coronas de tot Civitatũ Muris diripuit, reportavit.

Retrogradimini, retrogradimini, Auditores, & recenſete quæ periculorum pondera? quæ præliorum pericula? Quanta domi foriſque molimina velut *Atlantæis* ſuſtinuit humeris, Ille Patriæ ſuæ Liberator?

In **ANGLIA**, munitiſsima propugnacula fulmine labefactavit. Perduellium ferocientes emollivit animos, & in Sui reverentiam contorſit. Veteres ſedavit motus, nec non novos, fæliciter extinxit. A nuperis Naumachiis, & Claſsi-concuſsionibus altius Regnorum radices egit, & cum **FINITIMIS** nobile fædus contraxit. Pelagus deniq; pacavit, & *Neptuno* novos leges indixit; ut cui non ſola Terra ſuffecerat, à geminis elementis victor audiat **OLIVARUS** Ille, Terrâ, Mariq; Triumphator.

In **HYBERNIA** diras Hydras ex Hydris indies repullulantes, Hercule fortior compreſsit. *Ægæi* ſtabulũ repurgavit. *Diomedis* Equos ferreis loris & lupatis compeſcuit, ut & uno dicam, Illa tot Hominum Portenta, Belluas illas bipedes humano ſanguine ſaginatas, edomuit, eliminavit, delevit.

In Caledonia, nec fortitudini diſpar fortuna, Qui *Meleagro* fælicior, toties grunnientibus & graſſantibus *Apris*, Bellicoſus obſtitit, & in ſua tandem redegit VOLUTABRA. Quid plura? quid iſtis? Memoriâ tantarum

rerum

rerum quas geſſerat & numero Trophæorum, quæ Trophæis accumulaverat,obruor auditores,immo totus abripior.

——— *Inopem me Copia tanta*
Fecit,& in mediis ſitio ceu Tantalus *undis.*

Ille eſt, ille eſt, Auditores,admiremini! cujus unius fortitudo plus *Biennio* profecit, quam *Centenis ſeculis* Majores noſtri profuerant, vel forſan Nepotes profuturi. Nempe per ultimam *Thulen* auſpiciis obſtupeſcendis *volitantia vexilla* protulit, & ultra Romanas *Aquilas*, Exercituum victrices *Alas* explicuit. *Alpina Montium* clauſtra (prius impervia) ferro reſeravit, & *Hannibale* præſtantius,non Aceto, ſed militari virtute perrupit. Ad inaudita Claſsicorum murmura reboârunt Rupes & ipſæ nives ſanguine ſuffuſæ rubuerunt. Indigenæ deniq;*ferarum* more ſe luſtris abdiderunt,& inſtar *avium* Pennigeri cum calamis avolarunt, PICTÆ, ſibi Conſcii, nil Scuta,nil Pharetras contra tot *fulmina* potuiſſe.

Sic demum *Scotia* ſubductâ, *Hibernia* debellatâ; *Anglis* undiquaque reconciliatis, victor rediit OLIVARUS, Suos reviſurus. Et *Suos* certe reviſit, ſed non uti victor, ſed Hoſpes non uti Dominus,ſed Concives, ſine Trophæis, ſine Triumphis. *Mira* quidem magnanimitas in *Imperatore* tanto, *Qui* cum omnia feciſſet ut

triũphare deberet, nil tamen feciſſe voluit, ut triũpharet.

Ingreſſus Senatũ *Togatus* de Pace conſuluit, cujus impedimenta *Paludatus*, excuſsit. Nemo negotiorum penetralia penitiùs inſpexit, inſpecta, nemo celerius expedivit.

Pluſquam decennio, deliberata (& forſan unquam deliberanda) breviſsime confecit. Senatores à ſede dimovit. Qui deceſſerant de *fide*, & *Chirurgorũ* more, communium calamitatum medelas in ſuorum lucra protraxerant. Nec ſatis eſt ut amputentur ſurculi niſi cum ſurculis ipſe *truncus* eradicetur. Nam non in Senatus ſola *Membra* ſed latius in totũm *Corpus*, Juſtitiæ vindex enſis evaginatus. Quis enim à malis Corvis Ovum melius expectaverit? Removenda *Cauſa* eſt, igitur ut tollantur effectus, & hinc ambo, fæliciter in Senatu tollantur abrogato.

Et ſic venerandi Judices, & Juriſconſulti, habetis coram vobis CORPUS cum CAUSA, Fundum & Finem noſtrarum calamitatum.

At, at, Auditores nobiliſsimi, Finis unius gradus eſt futuri, & ex hujuſce Senatûs Rudere, vel Relliquiis, Cinere, vel Incendiis, *Senatulus*, eluxit. Eluxit ſane, ſed ut manifeſtius obſcuretur. Exortus ad Matutinum, ſed occidit ante Meridiem. Brevis illi vita, Mors quam *M*atura, Qui diutius vivendo literarum funera præmaturâſſet. *S*ed Divinis auſpiciis ad Fatum prioris diſſolvitur, qui pejori fato cum literis Religionis, & Legum ligamenta diſſolviſſet. Ex illo cætu Generoſiores quotquot, ſe gregati ſurrexerunt; & cæterorum temeritatem deprecantes,

cantes, una cum Nobili *Prolocutore*, publico Authoritatis ſymbolo præportato, ad Imperatorē contenderunt.

Et tunc auditores, quod reliquum eſt, illud inanimatum Cadaver, ex pulvere plerumque conflatum, diſſolutione ſui, repulvereſcit.

In hoc *Inter-regno*, Reſpublica vaccillare viſa eſt, & tumutuantes populi fluctuârunt, nova Naufragii Fata perhorrentes. Accedunt igitur igitur ad *Imperatorem*, & ſupplicabundi rogant ut ad Gubernaculum deſcenderet, & manum Clavo, tempeſtivus admoveret. Illum nimirum noverunt in Sudo fidiſsimum fore *Patronum*, Quem dexterrimum tot Tempeſtatibus agnovere *Palinurum*. Sed quid Auditores? Admiſit ſubinde Gubernaculum? quid ni? pertinaciſsime recuſavit. Dignus ſane, cui nil negaretur, qui ſe negando tantas abdicaret Dignitates.

Et nunc erigite, vos auditores, & inter publicam *neceſſitudinem*, Suiqùe modeſtiam, certamen intuemini.

Selectiores concurrunt *Proceres*, & ut derelictæ clientelam Reipublicæ ſuſcipere dignaretur, per amice monent, Monitis preces, Precibus rationes inducunt. Aderant Reverendi *Judices*, & idem ſollicitantes, incommoda totius Gentis, & Interregni pericula luculentius exponunt. *Tribuni* cum ſatellitibus id idem ſentiunt; inde *Clerus* extimeſcit. Cum Clero coeunt *Prætorii Cives*, cum Civibus *Curiæ comitiales*, cum Curiis, *Milites*, cum Militibus *Nautæ*, Chartis petitoriis *Imperatorem* perorantes, ut ſibi ſuiſque patrocinetur.

Et ſic ab illo Ingenti neceſsitatis Telo, pertoſſa, ſuccubuit victa tandem verecundia.

Proh fælicem conflictum quem tandem coronavit victoria! proh fæliciorem victoriam, quam tandem Trophea *Pacis* coronârunt! Nam nunc, Auditores, ſcæna tranſlata eſt; & Ille *Militaris* Imperator, nunc Pacifici PROTECTORIS ingentiorem titulum, & cum titulo, curas ingentiores induebat. *Magnus* honos, ſed majus onus, quo degravatus in ſubſidiũ Sui, CONCILIUM celerius inſtituit. Sed nec hic indefeſſa diu virtus acquievit, ſed mox aliud, immo *Generale* per tria Regna *Conciliũ* convocavit. Hinc alterum conſcribitur *Parlamentũ* prioribus ut nil minus armis offenſius, ſic multo magis infenſius argumentis: Nam certe Senatores, illos quos PROTECTOR in ſui ſublevamen prout *Participes* aſciſcivit, ex animoſiorib⁹ aliquot invenit *Dominos*; immo Dominis quam par *Imperioſiores*. Nec mora, mox in commune *Conſiſtorium* turmatim, tanquã publicam Paleſtram Prævaricatores illi vexilliferi convenerant, unde ſocios in certamen irritarent. Sed irritamentis nihil opus, nam frænis illi potius quam calcaribus indigebant, qui ſua ſponte proclives in Campum ferebantur. Impetu primo qũidem furioſius erumpunt, & cum POTESTATE-LEGISLATIVA, litigioſe digladiantur. Magnum munimentum, nec à puſillis expugnandum. Ad hoc, fumantes, intrârunt, illi de more fulminis, ſed poſt faciles

ve-

velitationes in fumum faceſſentes, deceſſerunt inopes, et parum ſibi minime populo conſuluerunt.

Et ſic tempore tandem peracto, & re, penitus infectâ, illud ultimum *defecit* Parlamentum.

Sed non interea PROTECTORIS Parentalis *defecit* pietas, nec potuit *Ille* Patriæ Pater diutius *Orphano-Popello* deſiderari. Quandoquidem igitur toties à Patribus-Conſcriptis *Salus Publica* periclitata eſt, Rediit ad *Illos Paucos*, Quos prius in *Concilium* Sui provide delegaverat. Ad *Illos* rediit, pro numero quidem Paucos, ſed Conciliis perampliſsimos; *In* Arduis magnanimos, in deliberandis Cautos, in Ordinandis Compoſitos, & in omnibus Reipublicæ ſic Accomodatiſsimos, ut dubium ſit an â tali *Concilio* Princeps, vel à tali *Principe* Concilium fælicius extiterit. Quod ſi Auditores, *Agamemnon* malit ſibi ſeptem *Neſtores*, quam decem *Achilles* unde *Troja* frueretur, in quantum noſtra *Troja* lætabitur, Quæ non à ſeptem modo, ſed *ſeptem-decim Neſtoribus*, cum PRÆSIDE perprudentiſsimo ſtatuminatur. Ab horum Conſiliis *Agamemnon* noſter, non modo per Confinia ſuæ *Trojæ*, ſed latius per vaſtas terrarum Regiones audit Patriæ ſuæ CONSERVATOR. Titulus in ſe ſane magnus, ſed major quòd in maximo, immo quod in *optimo* Principe collocatur. Sit *Cyro* nomen

men Solis; Sit *Flavio* titulus Bellatoris; Pulcherrimi *Gallerio*; Terribilis *Tamerlino*: Tutelari *Protectoris* Titulo sat noster abundè gloriabitur OLIVARUS. Nomen quidem nuper ad *Imperatoris Munia* vel ad amussim Conformatum. Constabit Illum nimirum bene Patriam *conservaturum*, qui novit Hostes *perdidisse*. Constabat Illum nil in Publicum velle deliquisse, cui vel in militari licentia nil licuit quod non licitum nil collibuit quod non honesta. Taceant igitur historiarum Commenta, & veterum de suis *Heroibus* jactabunda nimis sileat arrogantia. Cessent *Romani* suos *Camillos*, *Fabios*, *Catones*, *Æmilios* recitare. Cessent *Athenæ* suos *Themistocles*, *Aristides*, *Pericles*, *Thrasibulos*, *Phociones* in apricum proferre. *Spartani* suos *Lycurgos*. *Corinthi*, *Timoleontem*, *Thebani* suum cessent *Epimanondum* jactitare. Deponant Illi nugas inaniores, & Exuvias exemplorum, vel ad unum conferant *Coriphæum* qui tot exempla sine *Exemplo* solus antecesit.

Atticus Ille *Xenophon* qui ad *Cyri* virtutes exequendas votum potius quam veritatem compleverat, equũ diceret non qualis essent, sed qualis esse debert ad hæc tempora si procedisset, nova monumenta non suo *Cyro*, sed OLIVARO nostro maximis ingenii Sumptubus erexisset.

Tul.

Tullius eloquentiæ Pater, concinnitatis *Plinius*, quorum prior *Romanam* majeſtatem, Alter *Trajani*, laudibus extulerat, à Principe noſtro novam facundiam, veluti à nobiliori reſumpſiſſent, Argumento. Princeps in quo tanquam Sacrario tot ornatiſsimæ facultates cumulatim reconduntur, ut in aliis quæ tantũ ſingulæ fuerint, in Illo certe *ſingulares*. Princeps, Imperio; Principatu, Imperator; virtute victor; meritis Auguſtus; Patronus titulis, Pater Indulgentia. Omnia ſigillatim connecterem *nomina* virtutis, & *cognomina* Dignitatis, niſi dum *Laconicâ* perſtricturus brevitate, Magnitudini derogarem. Sic Illi *Coſmographi* qui dum univerſum mundum velut in annuli circulo circumſcribunt, injurioſe nimis operæ pretio detrahunt, & dignitati. Si dotes eximias complecterer, *immenſæ*: ſi delineare velim moves, *inimitabiles*.

In *Aulâ* vere magnificus, ſine oſtentatione; in *Menſâ* Liberaliſsimus, ſine luxu; ubi cuncta ad tantum *ſplendorem*, tantam tamen *moderationem* componuntur, ut hic inveniat *Lucullus* quod exoptet; illic *Fabricius*, quod imitetur. *In Cultu* nitidus, ſine affectatione vanitatis, ubi multum ſplendet quod vel junioribus perplaceat, nihil quod antiquis diſpliceat. In *Colloquio* perhumanus, & omnibus ſemper affabilis, unde nemo ſuos magis diligit; nemo magis à ſuis diligendus. In *Geſtu* Regius, & elatus qui-

dem, ſed minime ſuperbus, qui celſam *Majeſtatem*, cum gratâ *familiaritate* ſic æque temperavit, ut non hæc, ſin. tillas conflaret *odii*, nec illa, radios adumbraret *Reverentiæ*.

Quem non *Incontinentiæ* puderet, cum vitam verecundiorem? Quem non *Ebrietatis* cum miram temperantiam? Quem non *Arrogantiæ* cum morum comitatem? Quem non *Avaritiæ*? cum munificentiam, noſtri *Principis* intueretur. Principis dixi? immo potius Dœmimum dixiſſem, qui privatis opibus publicas ſublevavit neceſsitates, & familiæ reditus, ſauciorum *Xenodocciis* & viduarum Calamitatibus, erogavit. Quis enim auditores in Publicum propenſior? Quis in *proximos* amicitior? Quis erga *Peregrinos* munificentior? Audiant hoc illæ pauperculæ PEIDOMONTANÆ gentes, & ſtupendam nuper munificentiam gratulabundæ fateantur. Audiebunt hoc, non modò tota *Britannia*, ſed & Plagæ remotiores, nec non finitimæ, Benignitatem PROTECTORIS ebuccinabunt.

Et tunc Auditores, ut amicis omnino *munificus*, ſic & hoſtibus æque *miſericors*, cèu non ſuffecerat, ut *donaret* ſuis, niſi condonaret, Inimicis. Sic olim *Cæſar* dando, ſublevando, ignoſcendo, gloriam adeptus eſt. O magnum

ge-

generosissimæ mansuetudinis exemplar! in aliis hominum, sed inhâc *sui victor* evasit, qui vel perduellibus totiès vitam, veniamq; liberalitèr indulsit, ut quos ferro viceràt, *vinciret* Beneficiis.

Quid loquor in hoc præcinctu temporis virtutes reliquas quæ certatim vel obtrudunt mihi dictitanti, tanquam prioritatem vendicantes? Quid deniq; rationes & artes instructissimas gubernandi? Quid elucubratum studium, non modo *domi* componendi motus, sed & comparandi *foris*, amicitias? Hoc, illustris GALLIA fæcunditatis mater, & fæcundior Heroum procreatrix, agnoscet. Hoc, SUECIA, nobilis, & perantiqua Bellicosissimarum vagina gentium; Hoc, cum *Provinciis* HOLLANDIA nutrix artium, Martialis Palæstra disciplinæ; Hoc, VENETIA pulchellus oculus *Italiarum*, triumphatrix, Regina Civitatum, viva voce prædicabunt.

Aspiret, aspiret, interea DEUS Opt. Max. vobis & auspiciis vestris perexcellentissimi *Legati*, ut quo pede cæpistis, ad publicam Pacis metam, passibus æquis progrediamini, ut *vos* cum nostra *Britanniâ*, & nostra *Britannia* cum *vobis* mutuis amicitiis, in mutua fœdera coalescat.

Sed quo corripior? videor in vastum jam Pelagus rur-

rursus devolvi, quo ne patientiæ vestræ nobilissimi Auditores,& temporis nostri jacturam fecero,vela complicabo, mox iterum post respirationem, vestris adjutis favoniis aliud æquor aggressurus, ut siquid hic Oratoriæ nostræ defuerit,luculentius illic à Poesi suppleatur.

Dixi.

Animadversio.

Quod in prælimine, & in orationis fine, perexcellentissimos *Legatos* alloquutus sim, scitote (postquam typis excusa est hæc oratio) me *præsentes* expectâsse.

Deinde quod lectitavi Poema, sciat auditor siquis captiosior, hunc morem non apùd *veteres* solum, sed & apud hujusce sæculi *modernos* invaluisse.

FINIS.

ERRATA.

Pro inexpugnabis, lege inexpugnabilis. p. artitus, l. artibus. ennutritus, enutritus. interere, l. intererat. radices egit, l. radices figit. pro unquam, l. nunquam. vaccillare, vacillare. adſcifivit, l. adſcivit. pertoſſa, perfoſſa. paleſtram, cum æ. pro decim, decem. epiminondum, dam. tumutuantes, ultuantes. pro novos, l. novas. Cives, Civis. honeſta, um. ecquum, l. quum. eſſent, eſſet. moris, moribus. pro Dœmimum, l. OEconomi. Xenodocciis, l. chiis, fintillas, l. ſcintiæ. Audiebunt, audient.